

KNY-18-  
00212 A S S E R T I O N E S  
EX UNIVERSA  
PHILOSOPHIA,  
qua s  
IN ALMA  
**Archи-Episcopali**  
Societatis Jesu  
ACADEMIA BUDENSI,

Anno Domini MDCCCLX. Mense Augusto, Die publice  
propugnandas suscepit

PERILLISTRIS, ac ERUDITUS DOMINUS  
**ALEXIUS RUDNYANSZKY**  
DE DEZER,

Ungarus e Comitatu Pestensi, Philosophiae in secundum annum  
Auditor, e Convictu Nobilium.

EX PRÆLECTIONIBUS  
R. P. MELCHIORIS ANDREANSZKI e Soc. Jesu, AA. LL. &  
Philosophiae Doctoris, ejusdemque Professoris Publ. Ord.

---

EX LOGICA.

I.

**O**gica est facultas scientifice dirigens intellectum, ad recte cogitandum. II. Sunt autem cogitationum quatuor genera: Ideæ, Judicium, Ratiocinium, & Methodus. III. Ideæ innatæ in nobis non dantur. Simplices falsæ esse nequeunt. Complexæ possunt. IV. Judicium est simplex mentis actus, quo Ideas conjungit, vel separat. V. Solet manifestari propositione, quæ si de futu-



ris contingentibus sit, in se determinate vera est, vel falsa. VI. Intellectus humanus etiam in evidentibus subest voluntati. Hinc in nullo casu praestito assensu praemissis necessitatur ad conclusionem quoad exercitium. VII. Extat apud homines multiplex scientia. VIII. Haec tamen cum opinione in eodem intellectu de eodem objecto simul componi non potest. IX. Criterium veri est sola evidentia intellectus.

KNY-18-00212

## EX METAPHYSICA.

### X.

**M**etaphysica est scientia, quæ ens a materia abstractum contemplatur. XI. Nomine autem entis venit omne id, quod aptum est, ut existat. XII. Omne accidens est mera substantia affectio. Absolutum nullum datur. XIII. Prima omnium entium causa est DEUS, a quo mundus productus est in tempore, & probabilis tempore verno, ac perfectus in suo genere. XIV. Causæ creatæ, seu ut vocamus secundæ, etiam vere ac proprie agunt, licet inanimæ instrumentaliter solum. XV. Potentia tamen creandi nulla ratione illis competit, nec possunt agere in distans, nec quidquam educunt novi quoad entitatem. XVI. Mens humana est substantia pure spiritualis, rationis particeps, natura sua immortalis. Creatur a DEO post sufficientem corporis dispositionem. XVII. Bruta non sunt automata, sed habent animam sentientem, & perceptionum objectorum materialium capacem, quam spiritum mente humana inferiorem dicere, nec est contra fidem, nec contra rationem Philosophicam. XVIII. DEUS est ens in omni genere perfectionis absolutissimum. XIX. Concurrit immediate ad omnes actus creaturarum. XX. Ejus necessaria existentia contra delirantes Atheos demonstratur a posteriori argumentis Metaphysicis, Physicis, & moralibus.

## EX PHYSICA GENERALI.

### XXI.

**P**hysica est scientia agens de omnibus, quæ sensibilem hanc mundi machinam constituunt. XXII. Essentia corporis Physici in naturali impenetrabilitate sita esse videtur. XXIII. Principia illius prima sensibilia sunt 4. vulgaria elementa; secundaria quinque Chemicorum. XXIV. Datur fluidissima ac subtilissima materia, quæ vulgo æther audit. Haec inter causas inanimas, utpote jugi motu ab auctore naturæ praedita, prima est, vacuumque coacervatum e natura excludit. XXV. Cohæsio, quam in solidis corporibus experimur, per contactum, plexum, ac texturam molecularum habetur, accedente valida, ac jugi pressione ætheris, ac etiam aeris. XXVI. Conge-

latio



latio liquidorum non a solo frigore , ut passim putatur , sed simul ab advenientibus particulis salinis repetenda est . XXVII. Rarefactio corporum in dilatatione , condensatio in constrictione pororum constitit . XXVIII. Motus inchoati causa immediata vel est spiritus , vel corpus . Hoc tamen non habet motus principium sibi intrinsecum . XXIX. Motus continuatus verosimiliter ab elaterio , & dilatatione medii v. g. aeris repeti potest . XXX. Motus reflexi causa est elasticitas corporum , ad quam præter ætherem temperatam partium rigiditatem , cum flexibilitate requirimus . XXXI. Gravitas non est corporibus intrinseca ; probabilius non est aliud , quam repulsio corporum inertium versus centrum terræ per eundem illum nisum , quo æthereæ moleculæ circa proprium centrum revolutæ in liberiora spatia evadere connituntur . XXXII. Fluida homogenea in tubis communicantibus componunt se ad libellam . Heterogenea tunc sunt in æquilibrio , cum eorum altitudines habuerint rationem reciprocam gravitatum . XXXIII. In tubis capillaribus ascensus fluidorum supra libellam probabiliter habetur ab æthere interno fluidorum partes ad ascensum urgente , quæ interim a vitri parietibus sustentantur . XXXIV. In Barometro ascensus mercurii , suspensio , non horrori vacui , sed pressioni aeris jure debentur . XXXV. Calor non est aliud , quam vehe mens , vibratorius , ac perturbatus particularum insensibilium motus . XXXVI. Frigus ei oppositum , est ejusdem motus imminutio , seu respectiva quies partium . XXXVII. Sonus omnis in motu tremulo ; primitivus corporis sonori : derivativus ipsius medii consistit . XXXVIII. Sapor a particulis corporum , & cum primis salinis , odor a sulphureo - mercurialibus provenit . XXXIX. Lux primitiva in rapido , vehementi , & vibratorio subtilium particularum corporis lucidi motu : secundaria , seu lumen pariter in motu vibratorio , sed rectilineo , & undulatorio æthereæ substantiæ sita est . XL. Colores omnes , ut sunt in objecto , nihil diversum dicunt , a certa figura , situ , plexu , pororumque dispositione ; at ut sunt in medio , per variam radiorum lucis vibrationem , ac modificationem ad oculum delatam non incongrue explicantur .

## EX PHYSICA SPECIALI.

### XLI.



Ystema Copernicanum magis , quam Tychonicum observationibus Astronomicis , & rationibus Physicis satisfacit , & idcirco , ut hypothesis , defendi meretur . XLII. Sol potissima sui parte ignis est , uti & stellæ fixæ . XLIII. Planetæ reliqui sunt corpora opaca , sola reflexa solis luce radiantia : habitari ea ab hominibus sufficienti ratione ostendi nequit . XLIV. Ecclipsis , seu occultatio solis accidit , dum luna hunc inter , terramque linea recta interponitur . Lunæ contra , dum hanc inter , & solem in linea diametrali terra



posita radios solares intercipit. XLV. Cometæ sunt corpora mundo coæva. Subinde criniti, alias barbati, aut caudati conspiciuntur, quod in atmosphærā eorum varie a sole illustratam non incongrue refundas. XLVI. Vis electrica videtur esse fluidum quoddam subtile, ab igne probabiliter indistinctum, quod affrictu ad motum concitatum duobus torrentibus fertur: altero, quo per divergentes radios effluit, altero, quo per convergentes influit. XLVII. Virtus magnetica pariter est fluidum subtile, quod non modo per magnetes, verum per ipsam etiam tellurem a polo Australi in Borealem vortice perpetuo agitur. XLVIII. Fontes omnes perennes, uti & putei e mari originem trahunt. XLIX. Æstus maris a vorticū ingurgitatione, & regurgitatione repetendus est. L. Denique Plantæ omnes ex proprio, & specifico semine, animalia ex ovis fœcundatis generantur.

O. A. M. D. G. B. V. M. H.

